

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Sententia definitiva

Prot. N. 51354/16 CA

N.

Nullitatis professionis perpetuae

(Rev.da Sr. [X] – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno V, die 30 novembris 2017, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mo ac Rev.mo D.no Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Stanislao Zvolenský, Henrico Mussinghoff et Antonio Stankiewicz, *Ponente*, atque intervenientibus Cl.mo Aemilio Artiglieri, utpote Rev.dae Recurrentis Advocato-Procuratore, Rev.do P. Rolando Manzo, B., tamquam Patronus Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, atque Rev.mo D.no Paulo Malecha, Promotore Iustitiae Substituto, hanc definitivam tulit sententiam.

1. – **Facti species.** – Rev.da Soror [X], die 3 octobris 1963 nata, apud monialium monasterium Congregationis [Y], in loco [Z] situm, primam professionem religiosam die 25 ianuarii 1987 emisit, sed, triennio iam expleto, prorogationem periodi professionis temporariae ad insequentem annum sortita est. Quoniam decurrente quarto anno Rev.da professa a votis temporariis ad professionem

sollemnem admissa non est, ipsamet ad aliud monasterium eiusdem Congregationis transiit, in loco [W] situm, ubi votis temporariis die 5 ianuarii 1991 renovatis, inibi quoque vota sollemnia die 21 novembris eiusdem anni emisit.

Accidit tamen quod sub exitu visitationis apostolicae monasterii *Omnium Sanctorum* in [W] reperta est positio irregularis Rev.dae [X], cum professionem sollemnem viginti quattuor abhinc annis emisisset. Itaque hanc ob causam, instante Rev.do Visitatore Apostolico, Exc.mus Nuntius Apostolicus in [A] litteris diei 11 septembris 2015 proposuit Congregationi pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae ut invaliditatem professionis sollemnis praedictae Sororis declararet. Quod Dicasterium tali proposito annuit et decreto diei 27 octobris 2015 professionem sollemnem Rev.dae [X] nullam declaravit propter illegitimum eius transitum ad monasterium in [W] absque requisito consensu ex parte Superiorissae prioris monasterii, scilicet in [Z], de quo n. 81 Constitutionum [Y] expresse statuit.

2. – In hisce rerum adiunctis, Rev.da Soror [X], recepta notificatione decreti Congregationis de nullitate sollemnis suae professionis, litteris die 21 novembris 2015 datis, revocationem vel mutationem intimatae decisionis expetivit, sed Congregatio litteris diei 21 decembris 2015 mandavit Exc.mo Nuntio Apostolico, ut Rev.dam Remonstrantem certiore faceret de impugnati decreti ratihabitione cum consequenti reiectione rationum, quas contra invaliditatem professionis suae exhibuerat.

Anno insequenti ineunte, Rev.da [X] litteris dierum 9 et 16 ianuarii 2016 bina fecit conamina assequendi nempe cognitionem rationum reiectae remonstrationis, quam a praefato Dicasterio expetivit, et impetrandi a Summo Pontifice nullitatis sollemnis professionis suae sanationem.

Nulla tamen effectus sibi favente gavisa, ipsamet Soror die 2 februarii 2016 recursum ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal proposuit adversus decretum Congregationis diei 27 octobris 2015, motivis ad rem pertractandam ac definiendam expositis.

3. – In exordio autem huius processus quaestionem de

suspensione impugnati decreti Cl.mus partis recurrentis Patronus suscitavit, ac inde Supremum Tribunal, re sedulo perpensa, viso quoque praescripto can. 700 de effectu suspensivo ipsius recursus adversus decretum dimissionis sodalis ab instituto religioso, die 19 septembris 2016 decrevit «recursum contra decretum nullitatis professionis perpetuae *a fortiori* effectum habere suspensivum».

Praehabitis dein memorialibus a Cl.mis partium Patronis confectis et voto pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae Substituti, Em.mus H.S.T. Praefectus in Congressu die 20 ianuarii 2017 habito, recursum ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus admisit.

Proinde in sessione die 31 ianuarii 2017 coram Exc.mo H.S.T. Secretario habita, inter praesentes Cl.mos partium Patronos et Rev.mum Promotorem Iustitiae Substitutum, dubium concordatum est hac sub formula: *An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 27 octobris 2015 latam.*

Peractis igitur iure peragendis, visis causae actis atque perpensis scripturis conclusivis a Cl.mis partium Patronis exhibitis, et voto pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae Substituti, nunc dubio superius relato respondendum est.

4. – **In iure et in facto.** – Quoniam causae de nullitate professionis religiosae inter eas recensentur, quae ad statum canonicum personarum in Ecclesia spectant, propter earum gravitatem, vitam Ecclesiae et animarum bonum attingentem (cf. can. 574, § 1), sub vetere disciplina canonica pertractatio iudicialis super praetensa professionum nullitate expediebatur duplici processu, scilicet coram Superiore regulari et Ordinario loci, interveniente quoque defensore professionum, ad instar defensoris vinculi in causis de matrimonii nullitate. Reclamatio autem nullitatis professionis fieri debuit infra quinquennium ab eius emissionem (cf. CONC. TRIDENT., sess. XXV, de regularibus et monialibus, c. 19; BENEDICTUS XIV, Const. *Si datam*, 4 martii 1748).

Haud obstante silentio Codicis anno 1917 promulgati quoad procedendi modum in causis nullitatis professionis religiosae (cf.

can. 586, § 1), notari iuvat illo quoque tempore non intermissam fuisse canonistarum sententiam de adhibendo processu iudiciali in praefatis causis «secundum analogiam iuris constituti de vinculo matrimoniali» (F.X. WERNZ – P. VIDAL – F.M. CAPPELLO, *Ius canonicum*, t. VI, *De processibus*, Romae, 1949, 636; F.M. CAPPELLO, *Summa iuris canonici*, II, Romae, 1962, 75) vel «ad instar processus nullitatis sacrae ordinationis» (I. CHELODI – P. CIPROTTI, *Ius canonicum de personis*, Vicenza, 1942, 434).

5. – Cum vero nec Codicis vigentis praescripta expresse caveant de proseguenda via iudiciali in causis nullitatis professionis religiosae, impugnata a Rev.da Recurrente legitimitas decreti Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 27 octobris 2015, nullitatem eius professionis declarantis, aestimari debet iuxta criteria canonica, quae modum procedendi ac decernendi in formatione decreti administrativi singularis moderantur (cf. can. 48)

Quam ob rem iure quo utimur, antequam auctoritas executiva competens decretum singulare hisce in causis ferat, necessarias informationes et probationes exquirere tenetur atque, quantum fieri potest, eos quoque audire, quorum iura legitime acquisita eodem actu administrativo laedi possint (can. 50). Praetermissio autem huius formae procedendi, independenter quidem a bona fide auctoritatis competentis, decretum singulare obnoxium reddit non solum recursui, a parte gravata proponendo, sed etiam effectibus illud infirmantibus, de quibus in praescripto can. 1739 cautum est.

Insuper decretum singulare scripto ferri debet, saltem summarie expressis deliberatae decisionis motivis (can. 51), breviter nempe percurrando per summa capita principalia decisionis argumenta.

6. – Sed tamen acta huius causae, a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae ad hoc Supremum Tribunal transmissa, clare ostendunt Rev.dam Recurrentem auditam non fuisse, antequam decretum die 27 octobris 2015 latum esset de nullitate eius professionis sollemnis cum consequenti amissione status vitae consecratae.

Quamquam legis praescriptum de auditione eorum, quorum iura decreto singulari laedi possint, circumscriptum est per clausulam

«quantum fieri potest» (can. 50), nihilominus tamen exigentia audiendi interesse habentes strictae subest interpretationi (can. 18), praesertim vero quoties de ipso titulari stricti iuris agatur. Secus enim protectio canonica iurium, quibus christifideles in Ecclesia gaudent, gravem pateretur detractionem et in usu vitae christianae procliviter evanescere posset.

Propter hanc igitur rationem propositiones conclusivae visitationis apostolicae monasterii monialium in [W], quae decretorium dederunt impulsu declarandae nullitati professionis sollemnis Rev.dae Sororis [X] necnon praecepto «di lasciare il monastero di [W]», nullo modo excusare poterant praetermissam auditionem eiusdem Professae a votis perpetuis in ambitu praeviae investigationis, vel talem defectum supplere.

7. – Quin immo, Rev.da Recurrens tempore pertractatae nullitatis professionis sollemnis apud Dicasterium Curiae Romanae non solum audita non fuit, verum etiam, usque ad intimationem decreti diei 27 octobris 2015, absque ulla informatione mansit de capite accusatae nullitatis professionis suae cum consequenti amissione proprii status vitae religiosae.

Re ipsa tamen aptius considerata, sicut Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus animadvertit, hac in causa agitur de binis capitibus assertae nullitatis professionis sollemnis Rev.dae Sororis.

Enimvero, iuxta tenorem decreti praefatae Congregationis diei 27 octobris 2015 nullitas professionis sollemnis Rev.dae X pendet ex non impertito consensu a Superiorissa monasterii in [Z] ad illius transitum ad monasterium in [W], qui ad normam n. 81 Constitutionum Congregationis [Y] expressis verbis requiritur.

Qua in re tamen litterae eiusdem Dicasterii diei 13 octobris 2016, ipsimet Summo Pontifici inscriptae atque penitus contrariae expetitae a Rev.da Sorore sanationi, assertam professionis nullitatem tribuunt solummodo violationi praescripti can. 658, n. 2, et quidem haud recte interpretati, quatenus nempe Abbatissa monasterii in [W] admisit eam ad professionem temporariam sine praevio novitiatu et, biennio dumtaxat exacto, ad professionem sollemnem.

8. – Cum vero alterum caput assertae nullitatis professionis,

ex violatione superius citati can. 658, n. 2 originem ducens, extra limites impugnati decreti diei 27 octobris 1915 permaneat, propterea nec causam petendi in recursu contentioso administrativo constituit, neque in formulam dubiis apud H.A.T. concordati intravit.

Immo, praedictum nullitatis caput improprie et per errorem propositum est in superius indicatis litteris Congregationis ad Romanum Pontificem, quia, nostro in casu, non agitur de ingressu Rev. dae [X] in alterum monasterium, post egressum ab alio monasterio, sed de eiusdem Professae a votis temporariis transitu ab uno ad aliud monasterium eiusdem Congregationis, de quo praescriptum can. 684, § 3 expresse cavet.

Ceterum hoc in processu contentioso administrativo valet quoque principium quod penes *Ne eat iudex ultra petita partium*”, quia *Iudex iudicare debet iuxta allegata et probata*, scilicet intra limites causae petendi in recursu propositae et in litis contestatione concordatae, quam haud dubie constituit solummodo prius assertae nullitatis caput, ex quo Congregatio professionem sollemnem Rev. dae Recurrentis irritam declaravit.

Quibus igitur praemissis, concludendum est constare hac in causa de violatione legis *in procedendo* ex parte Congregationis pro institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae sive propter omissam auditionem Rev. dae Recurrentis ante pronuntiationem definitivi decreti de professionis suae nullitate, sive propter defectum notificationis eidem Religiosae capitis assertae nullitatis professionis, sive propter evidenter denegatum ei ius defensionis contra accusatam professionis suae nullitatem.

9. – Quod autem spectat ad rationum deliberationem in *decernendo*, ex summarie expositis motivis decreti Congregationis diei 27 octobris 2015 elucentem, pro explorato retinendum est unicam causam motivam recognitae nullitatis professionis sollemnis Rev. dae [X] diei 21 novembris 1991 positam esse in defectu consensus ex parte Superiorissae monasterii in [Z] in illius transitum ad monasterium in [W].

Idque clare evincitur ex sequentibus verbis impugnati decreti a Congregatione prolatis: «È provato che Sr. [X], professa di voti temporanei del Monastero di [Z], è passata al Monastero delle [W],

senza il consenso della Superiora del Monastero in [Z], previsto dal n. 81 delle Costituzioni della Congregazione [Y]».

Pars autem dispositiva huius decreti, habita nempe ratione superius indicati defectus, sequentem continet deliberationem de professionis nullitate: «Questo Dicastero dichiara nulla la professione solenne fatta da X nel Monastero delle [Y]» addita quoque dispositione de status vitae consecratae amissione: «Di conseguenza [X] è priva di qualsiasi legame giuridico col predetto Monastero di [W]».

10. – In specie autem ius proprium hac in causa applicatum ad declarandam nullitatem professionis sollemnis Rev. dae [X] respicit n. 81 Constitutionum Congregationis [Y], qui de consensu Superiorissae monasterii *a quo* deque aliis requisitis ad transitum professarum ad aliud monasterium, sequentes statuit regulas: «Se la *professa perpetua* della nostra Congregazione, per motivi importanti e validi, desidera spostare la sua *stabilitas loci* (permanenza in un luogo) al monastero/convento diverso, deve ottenere il permesso (consenso) da entrambe le Superiori dei monasteri/conventi interessati, nonché il permesso (consenso) della Badessa preside».

Idque praedicta norma praefinit etiam de transitu professae a votis temporariis, addita tantum peculiari dispositione quoad professionis renovationem: «Alle stesse condizioni è sottoposta la *professa dei voti temporanei*, con la condizione che nel periodo di prova rimane sotto la cura della maestra del noviziato. Se in questo periodo cessano i suoi voti, ella li rinnova nel monastero/convento nel quale ha fatto la professione, e per svolgere questo la sua superiora delega la superiora della casa nella quale ella si trovava nel periodo di prova».

Qua in re tamen praetermitti nequeunt requisita iuris communis, de quibus praescriptum can. 684, § 3 ita cavet: «Ut religiosus a monasterio sui iuris ad aliud eiusdem instituti vel foederationis aut confoederationis transire possit, requiritur et sufficit consensus Superioris maioris utriusque monasterii et capituli monasterii recipientis, salvis aliis requisitis iure proprio statutis; nova professio non requiritur».

11. – Ad casum heic pertractandum quod spectat,

animadvertendum est ex actis certo constare Rev.dam Recurrentem, tempore transitus ad monasterium [W], valida adhuc professione temporaria adstrictam fuisse. Hac igitur de causa Rev.da [X] tamquam religiosa a votis temporariis Congregationis [Y] eiusmodi actum translationis, ut quidam vocant, legitime perficere valuit tum ad normam iuris communis (cf. can. 684, § 3; PONT. COMM. INTERPR., 20 iunii 1987, AAS 79 [1987] 1249), tum iuris proprii (cf. n. 81 Const. Congr. [Y]).

Insuper, secundum doctrinam canonicam in transitu ad aliud monasterium nec renovatio professionis requiritur, persistente adhuc in vigore prima professione, neque periodus probationis exigitur vel iteratio novitiatus, salvo utique aliis requisitis iure proprio statutis (cf. V. DE PAOLIS – V. MOSCA, *La vita consacrata nella Chiesa*, Venezia, 2015, 556).

Quibus perpensis, principalis disceptatio hac in causa se confert ad assertam nullitatem transitus Rev.dae [X], tunc professae a votis temporariis, ad aliud monasterium propter defectum consensus Superiorissae monasterii *a quo* iure communi (can. 684, § 3) et iure proprio (n. 81 Const. Congr. [Y]) requisiti, necnon ad declaratam per decretum diei 27 octobris 2015 nullitatem illius professionis sollemnis, a praefato defectu derivatam, quam apud monasterium *ad quod* die 21 novembris 1991 emisit.

12. – Cum vero decretum Congregationis diei 27 octobris 2015 mentionem non faciat violationis praescripti can. 684, § 3 de aliis requisitis legitimi transitus ad aliud monasterium disponentis, res igitur hac in causa definienda ad defectum consensus ex parte Superiorissae monasterii *a quo* dumtaxat limitatur. Nam iuxta tenorem impugnati decreti constat de nullitate professionis sollemnis Rev.dae Sororis [X] propter eius illegitimum transitum ad monasterium [W], scilicet peractum «senza il consenso della Superiore del Monastero di [Z], previsto dal n. 81 delle Costituzioni», minime vero propter alios defectus, qui cum executione incepti iam transitus connectebantur.

Iamvero, memoratum decretum Congregationis nec defectum petitionis transitum peragendi ex parte Rev.dae Sororis excepit, de qua ceteroquin ius commune (cf. can. 684, § 3) et ius proprium (cf. n. 81 Const. Congr. [Y]) non cavent, neque defectui consensus capituli

monasterii recipientis exceptionem opposuit, cuius necessitatem ius commune urget quidem (cf. can. 684, § 3), sed tamen absque ulla nullitatis actus sanctione (cf. can. 10).

Ad rem igitur contendit Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus assertum defectum consensus capituli monasterii recipientis admittendi transeuntem Professam a votis temporariis inter proprias moniales minimi esse momenti, quia de tali argumento nec in impugnato decreto Congregationis agitur, neque in aliis huius causae actis.

13. – Enimvero, gravis carentia hac in causa necessariae documentationis, «nonostante l'impegno delle Priore dei Monasteri di [Z] e di [W]», non impedit tamen, quominus ex agendi ratione Rev.dae [X] praesumi possit eius voluntas petendi transitum et impetrandi acceptationem ex parte capituli monasterii in [W].

Ipsa enim Soror, sicut refert Abbatissa praedicti monasterii, «è venuta da me come dalla Preside della Congregazione, con la richiesta di aiutare salvarla dalla situazione in cui si trovava». Sin aliter, acceptari non potuit inter moniales novi monasterii. Qua in re valet enim principium iuxta quod *Non refert an quis assensum praefert verbis an rebus et factis*.

Quin etiam, Rev.ma Abbatissa monasterii in [W] atque id temporis Praeses Congregationis, favore profert iudicium de Rev.da [X]: «Ha emesso i voti perpetui a [W] ed è stata accolta con il pieno di voti richiesti poiché riconosciuta come una Suora diligente e laboriosa. Nessuno aveva dei dubbi sulla validità dei voti di Suor [X] fino al momento quando la Preside della Congregazione è diventata Madre [B] e il visitatore Padre [C]. Siccome io (Madre [D]) non ero d'accordo con la scelta di questo visitatore, Madre B si è sdegnata contro di me e mi ha minacciato di ricordarmi quell'affronto. Quando nel 2006 Madre [B] e Padre [C] svolgevano l'ispezione, hanno cominciato a cercare meticolosamente tutte le cose mal fatte su ogni livello della vita del convento. Per questo è nato quel problema e anche un paio di altri che ora stanno per essere riparati».

14. – Praemissis quaestionibus extra terminos formales impugnati decreti Congregationis vagantibus, superest tamen

quaestio substantialis adhuc solvenda, pluries iam indicata, scilicet de consensus defectu ex parte Rev.mae Superiorissae monasterii in [Z] ad transitum Rev.dae [X], professae a votis temporariis, ad monasterium in [W], propter cuius defectum nullitas eius professionis sollemnis die 27 octobris 2015 declarata est.

Sed in hac quaestione Cl.mus partis recurrentis Patronus et Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus, doctrinam canonicam communem secuti, merito conveniunt in eo quod consensus Superiorissae monasterii *a quo* non requiritur ad validitatem transitus ad aliud monasterium.

Namque ad normam can. 10 leges irritantes eae tantum habendae sunt, quibus actum esse nullum expresse statuitur. E contra, nec praescriptum can. 684, § 3, neque n. 81 Constitutionum Congregationis [Y], expresse statuunt de consensu Superiorissae requisito ad validitatem eiusmodi transitus. Omnis autem actus iuridicus, quoad sua elementa externa rite positus, praesumitur validus (can. 124, § 2).

Inepte quoque hac in quaestione Rev.dus Patronus partis resistentis praescriptum can. 127, § 2, n. 1 invocat, quod de consensu alicuius collegii vel personarum coetus, uti singularum agit, non autem de consensu seu permissione ex parte ipsius Superioris.

Quibus perpensis, Rev.ma Abbatisa monasterii *ad quod*, (in [W]) tempore emissionis professionis perpetuae a Rev.da [X], competens Superiora erat ad eius admissionem ad vota perpetua (cf. can. 658 coll. cum can. 656, n. 3).

15. – Quidquid est de argumento nuper relato, Infitiandum non est, quin omnes hac in causa disceptantes conquerantur de gravi documentorum defectu, potissimum vero quod attinet ad professiones temporarias Rev.dae Recurrentis, ad eius transitum ad monasterium in [W] necnon ad consensum Superiorissae Maioris utriusque monasterii et Capituli monasterii recipientis.

Idque aegre fert quoque ipsa Recurrens dum in remonstratione diei 21 novembris 2015 refert de litteris inscriptis «alla Badessa Preside [D] e al Visitatore p. [E] [...], spedite dalla Maestra del noviziato di [Z], Suor [F], forse su incarico della Badessa [G], che in quel periodo, già da tanti anni, soffriva di tumore», et quaerit: «In

base ai quali documenti si afferma che questi permessi non sono stati rilasciati». At memoratae litterae Rev.dae Magistrae novitiarum in actis causae a Congregatione transmissis non inveniuntur. Ceteroquin nemo per viginti et quattuor annos nullitatem transitus et professionis sollemnis Rev.dae [X] excepit.

In hisce rerum adiunctis, sicut Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus ad rem contendit, in actis causae probationes per documenta *pro* et *contra* desunt. Onus autem probandi incumbit ei qui asserit (can. 1526, § 1), seu parti accusatrici nullitatis praedictae professionis, quas tamen hucusque non exhibuit.

16. – Denique Rev.dus Patronus partis resistentis ad corroborandam declaratam professionis sollemnis nullitatem per impugnatum decretum Congregationis diei 27 octobris 2015, novum nullitatis caput proponit, ratus nempe quod Abbatisa Monasterii in [W] ullam facultatem propriam aut vicariam aut delegatam habuit, de qua in n. 81 Constitutionum citatae Congregationis [W], et ad normam can. 124, § 1; 656, n. 3 et can. 658 Rev.dam Recurrentem ad renovationem professionis temporariae ac dein ad emissionem illius perpetuae admittere non potuit nec debuit.

Sed in defectu necessariae documentationis in actis causae, non profutura apparet speculativa disceptatio de condicionibus, quae ad validitatem renovationis professionis temporariae et emissionem professionis perpetuae requiruntur, scilicet in luce principii generalis de actibus iuridicis (can. 124, § 1) et remissionis ad quaedam legum praescripta (can. 656, n. 3; 658).

Ceterum, sicut iam superius dictum est (cf. n. 14), Rev.ma Abbatisa monasterii *ad quod*, seu Mater [D], quae tempore transitus Rev.dae Recurrentis etiam Congregationis [W] Praeses erat, competens erat tempore emissionis professionis perpetuae ab illa, etiamsi documenta relate ad admissionem et votum sui consilii in actis causae non inveniuntur.

Quae cum ita sint, propter motiva superius exposita (cf. nn. 9-16) habetur quoque violatio legis *in discernendo* ex parte Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae quoad impugnatum decretum diei 27 octobris 2015 de nullitate professionis sollemnis Rev.dae [X].

III. CONCLUSIO

– **Conclusio.** – Omnibus in iure et in facto aequè rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubiis propositis respondendum esse decreverunt atque facto respondent: *Affirmative*, seu **constare de violatione legis in procedendo et in decernendo relate ad Decretum Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae Apostolicae diei 27 octobris 2015.**

Expensae processuales et honorarium pro Cl.mo Patrono partis recurrentis sumantur ex arca huius Supremi Tribunalis Congregatio autem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae suo Rev.do Patrono congruum solvat honorarium.

Quam sententiam definitivam cum omnibus quorum interest comunicandam et executioni mandandam esse decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 30 novembris 2017.

(signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*
+ Stanislaus ZVOLENSKÝ
+ Henricus MUSSINGHOFF
+ Antonius STANKIEWICZ, *Ponens*

Et notificetur.

Die 28 aprilis 2018

+ Iosephus SCIACCA, Episcopus tit. Fundanus, *Secretarius*
Marius Leite de Oliveira, *vices Praepositi Cancellariae gerens*